PLATO. ARISTOTELES

Entstehungsort unbestimmt (Tirol?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 222r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



tudines modo possis quod simile est perspicere quod philosophia
facile prestat ¶ non est igitur difficile apologos inuenire ¶ uerum
ad consultacionem res geste multo utiliores sunt ¶ nam ut plu-
rimum futura preteritis similia sunt ¶ Exemplis igitur si
quidem non habeas enthimemata quasi demonstracionibus
utendum sin uero habeas quasi testimoniis post enthimemata
in per orationibus ¶ Cum enim preponuntur similia inductio-
nibus sunt inductio autem oracioni oratorie preter quam in paucis
non est ydonea postposita uero testimoniis Testis autem
ubique ad fidem utilis ¶ Preterea preponenti multa dicere
necesse est postponenti autem unum etiam sufficit nam testis
probus uel unus satisfacit ¶ Quot igitur species exemplorum
sint et quo pacto et quando ipsis utendum dictum est etc.

Capitulum vicessimum primum de sentenciis

De sentenciis autem ad hibendis si quid sentencia sit
dixerimus facile patebit quibus de rebus et quando
et quibus consentaneum est in oracione sentenciis uti.
Sentencia igitur est non de singularibus ut qualis quidam
yphycrates sit sed de uniuersali enunciacio nec de omnibus
uniuersalibus ut rectum obliquo contrarium esse sed de quibus-
cumque operaciones sunt que ad agendum eligenda uel fugienda
sunt ¶ Quare quoniam enthimemata silogismi de istis
sunt tam conclusiones enthymematum quam principia silo-
gismo semoto sentencie fere sunt ¶ ut illud oportet prude-
tem virum non nimium insapientia liberos erudire ¶ Id igitur
sentencia est cui si causa quamobrem accesserit totum enthi-
mema erit Nam ad ocium quod habent perniciosam etiam
sibi hominum inuidiam attrahunt ¶ et illud non est qui felix
omnibus in rebus sit et nullus hominum liber est Nam aut peccu-
nie aut fortune seruit ¶ si ergo sentencia est quod diximus
quatuor sentencie ~~specie~~ species esse necesse est ¶ Nam aut
cum racione erit aut sine racione ¶ Que igitur egent
demonstracione cum racione sunt quecumque uero nil mirum